



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Mors vt per Christum destructa, & lapsus primorum parentum reparatus  
sit. Can. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

templatione, nec non immortalitatis gloria vos priuauit? Quid vltra? Omnes vos  
 vt oues errantes à via veritatis aberrare fecit, & totam humanam naturam quam  
 in se recepit integrā, sua auersione à me corrupit, deprauauitq; & quod magis do- Esa. 46.  
 lendum, ipsam quoque animam secundum imaginem & similitudinem meam  
 factam, à sua dignitate & antiqua generositate deiecit, omnesq; vires nobilissimas  
 ei ad me perfruendum concreatas misere à suo principio, hoc est, à me, ipsarum Anima qui-  
 creatore & origine, abduxit & auexit: ita vt etiam sæpenumero nolens miser ho- bus calami-  
 mo cogitet quæ nolit, & quasi cæca mēte ad ea quæ videntur vi quadā feratur, ra- tibus sub-  
 piaturq; oblitus interea inuisibiliū, æternorum ac celestiuū bonorū in cœlis repositi- iecta sit.  
 torum. Quod ergo factus sit miser Adam, cum aliquid esse vellet hinc collige & re- Eccle 47.  
 cum perpende, quæ toties hunc ipsius lapsum & propriam tuam miseriam proni-  
 tatemq; ab omni malum deploras & luges, nec graue illud iugum quod est super  
 omnes filios Adæ excutere vales: & time, ne quando mens tua in superbiā se erigat,  
 deterius quid tibi contingat. Hæc dixerim, vt pius consolator, & fidelis tuus spon-  
 sus, qui ad mala & peccata præcauenda, gratiam meam nunquam tibi denegauit,  
 imò sæpè tibi refragati obtuli & ingessi quo te in amore mei tepescens excitare,  
 & ad virtutes exercitandas commouerem, ne te otio vacantem tentaret is, qui om-  
 nibus meis amicis vel mille laqueos tendit, & ad sui consensum pertrahere nititur.  
 Sed nunquid putas hæc, de qua præfatus sum præuaricatione, solam corporis  
 mortem in mundum inuexi? Nequaquam. Animæ nanque multò maximè, vt in  
 superiori canone tactum est, necnon & multa alia innumera penè incommoda, ad-  
 uersitates, ægri tudines, aeris & aliorum elementorum iniurias, quibus tantoperè  
 affligamini non te lateat: & vt breuiter dicam, omnes propemodum creaturæ con-  
 tra vos & in interitum vestrum conspirarunt, ac inimicitias suas exercent. Verùm  
 non immerito. Nam offenso creatore, offenditur omnis creatura.

*Mors vt per Christum destructa, & lapsus primorum pa-  
 rentum reparatus sit.*

## CANON III.

**V**erùm, mi filia, ex ijs verbis fortasse non nihil animo es consternata & con-  
 tristata, quod audis tantam à primis tuis parentibus gloriam esse amissam,  
 tantamq; ignominiam & contumeliam toto humano generi illatam, vt qui  
 verè erant cœlestis regni hæredes, facti sint exules: & qui filij Dei, indigni sint iu-  
 dicati serui. At quis ò anima restituet vobis hæreditatem vestram tamdiu perdi-  
 tam? Putasne aliquis potuerit reperiri in cœlis aut in terris, qui tantæ fuerit & po-  
 testatis & authoritatis, vt se de aduersarijs vestris vindicet & dolo & fraude abla-  
 tam recuperet? Certè aliquot annorum milia effluxerant & nusquam aliquis ap-  
 paruit, qui pro sua hæreditate dimicare ausus fuerit, quin omnes vt captiui, & mæ-  
 cipia quædam ab inimicis suis capta & retenta fuerint. Quid ergo faciendum, quo  
 fugiendum vobis? Ecce clamor vniuersæ carnis venit ad me, & insonuit in auri-  
 bus meis, auxilium quærens simul & consilium à me, quid in re tam ardua tamque Exod. 2.  
 necessaria consultandum faciendum ve sit. Tandem ego qui reuera sum autor hu-  
 manæ naturæ conditæ, cernens lapsum eius tam grauem, vt à nulla pura creatura  
 potuisset reparari, tanquam pius & misericors Dominus, promptum atque para-  
 tum me exhibui eandem naturam in me assumere, ac in purissimis visceribus  
 Cccc      beatiss.



beatissimæ virginis Mariæ cooperante Spiritu sancto concipi ac nasci, alijsq; innumeris molestijs & naturæ necessitatibus subijci, quo vel sic eam in me ipso diuina mea cooperante potentia, reformarem, deq; diaboli captiuitate vendicarem, mortemq; ipsam, de qua nobis sermo, gustando, potenti virtute mea destruerem, nec non hæreditatem vestram à nescio quo infideli seruo furto subreptam restituerem, cælestisq; hæreditatis participes facerem, & in sortem filiorum Dei asciscerem: vt sicut per Adam omnes corruistis in mortem, ita per me, hoc est, per merita meæ sanctissimæ natiuitatis, inculpatae conuersationis, & amarissimæ passionis, resurgeretis & in nouitate vitæ ambularetis. Quod sanctus Apostolus innuit, dicens: *Sicut per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnus obedientiam iusti constituentur, multi.* Non est nunc mi filia, quod tu vel alius quispiam bona voluntate & mihi placendi desiderio præditus, ob magnitudinem peccatorum, aut iniquitatum suarum desperet: sed hoc agat, ad hoc laboret & nitatur, vt post hac nulli velit mea gratia cooperare, peccato consentire, omnes etiam peccandi occasiones (sine quibus peccatum difficile vitatur) pro virile declinare. Hoc cum fecerit, quantum possibile fuerit doleat, quod me tam benignum, tam dulcè, tamq; amabilem Dominum ac patrem, sponsumq; adedò multipliciter offenderit, ac quasi pedibus suis conculcârît. Deinde cum in hoc dolore, hacq; tuorum criminum contritione aliquandiu versatus fuerit, nil restat, quàm vt ex toto affectu, se in me projiciat, me attendat, meæ vitæ purissimæ exemplar ante oculos suos cõstituat, ac quasi in quodam speculo se in me intueatur ac contempletur, & quod sibi deesse conspicit, pleno ore, ex meis abundantissimis meritis hauriat. Ex quo exercitio tanta nascitur gratia, tanta diuinæ consolationis exuberantia, tanta erga me fidelitas, tanta animi fortitudo, tanta mentis stabilitas, tanta virium, cum corporis, tum animæ reformatio, tanta denique interiorum oculorum claritas, vt in omnibus agendis & dimittendis, meum possit agnoscere beneplacitum, nec aliud velit, quàm quod me velle intelligit, omnesq; virtutes supremo quodam modo in ipso perficiuntur. Et quândiu in hoc statu persistit, hoc est, vt mihi maneat vnitus per voluntatis & animi conformitatem, nihil timere habet, ne ipsas quidè demonum occultas insidias vel ineuitabilem mortis necessitatem. Nam ego, ego inquam, pugnabo pro eo, & hostium vires, diuinitatis meæ virtute eneruabo: sicut & Apostolus meus huiusmodi cõsolatus est, dicens. *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu: imò nec timoris, nec periculi quicquam imminet, qui non secundum carnem ambulant, sed spiritu viriliter facta carnis mortificant.* Hæc sunt breuiter dicta de spiritali animæ resurrectione, de qua quia alibi copiosius tecum egi, hic eadem missa faciam. Certum est tamen, quod quisquis prædictum exercitium neglexerit, hoc est, vt veterem hominem cum actibus suis non exuat, nec virtutibus acquirendis strenuam operam nauet, voluntatemq; suam meæ voluntati non vniat, eum non posse mihi laxo ac iucundo animo occurrere, nec pacata conscientia ex hac luce emigrare. Hoc attendant quæso, qui in hoc seculo quàm sceleratissimè viuunt, & mei vix memores sunt, vt contriti de suis peccatis, vitam suam corrigant, meq; sibi reconcilient.

De quibusdam periculosisis egrotantium tentationibus.

CANON IIII.

quan-

1 Cor. 15.

Redeundum  
quomodo  
post lapsum  
ad Deum.

Rom. 8.